

benedictionem Sacerdotis egredi populus non presumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.

Can. Missas, 64. de consecr. dist. 1. Ex ista mentione benedictionis Sacerdotis in fine Missæ, facile colligitur, canonem 44. qui paulo ante præcessit de prohibita Presbyteris intra Ecclesiam benedictione, restringendum esse ad reconciliatoriam & publicam manus impositionem.

21. Can. XLVIII. *Ut de rebus Episcopi propriis vel acquisitis, vel quidquid Episcopus de suo proprio habet, hereditibus suis, si voluerit, derelinquat. Quidquid vero de provisione Ecclesie sue fuerit, sive de agris, sive de frugibus, sive de oblationibus, omnia in iure Ecclesie reservare censuimus.*

Can. Episcopi de rebus, 12. q. 1. Epaonense quoque Concilium anni 517. edicit can. 17. *Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi in tantum de juris proprii facultate suppleverit.* Simile sancitum legimus in Apostolorum canonibus 39. & 40. Idemque decernit Antiochena Synodus can. 24. Primumque, cui præfedit Sanctus Leander, Hispanense Concilium, Itemque sanctus Papa Gregorius Magnus lib. 10. epist. 42. ad Deuseditic Mediolanensem Episcopum. Lateranum insuper Concilium III. sub Alexandro III. can. 15. generaliter definit, non posse clericos testari, neque inter vivos disponere de bonis ex Ecclesia profectis; sed solam Ecclesiam in hæc succedere. Vide c. quia nos: & c. relatum est auribus: de testament. Hæc ratio fundatur in destinatione quarumcumque facultatum Ecclesiæ, de quibus pervulgatum est dictum Urbani Papæ & Martyris. *Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non possunt aliis quam Ecclesie & fidelium indigentium usus applicari: quia vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum.* His Bernardus suffragatur serm. 23. in Cant. dicens: *Ministri Ecclesie, qui stipendiorum superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegæque sibi retinent, duplici profecto peccant iniquitate, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.* Idemque in 2. epist. ad Canonium Lugdunensem: *Quidquid præter necessarium victum & vestitum de altari retinetur; tum non est, rapina est, sacrilegium est.* Idemque similia iterat epist. 42. Advertant ergo clerici, quam formidanda se astringant damnatione, qui fructus Ecclesiæ ad proprium luxum conserunt, vel ad augendas agnatarum opes. Exquire super his Antiochenum can. 34. cum ibi adjunctis.

Can. L. *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserint, aut chartam falsaverint, aut testamentum falsum dixerint, ab officii honore depositi in monasterium detrudantur: & ibi, quamdiu vixerint, laicam tantum communionem accipiant.*

Can. Si Episcopus, Presbyter, dist. 50. Quid sit laica Communio, vide superius in propria dissertatione, quæ est 16. Notitiæ Sæculi II.

Can. LI. *Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantumdem de juris proprii facultate suppleverit.*

Can. Si Episcopus condito, 12. q. 5. Huic conformatur Epaonensis Concilii can. 17.

Can. LVII. *Unum Abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.*

Can. Unum Abbatem, 21. q. 1. habetur in Concilio Epaonensi can. 9.

22. Can. LIX. *Clerici quilibet quantacumque diuturnitate temporis de Ecclesia remuneratione aliqua possederint, in jus proprium prescriptione temporis non revocentur, dummodo pateat Ecclesie rem fuisse: ne videantur etiam Episcopi administratione prolaxati, aut precatorias, cum ordinati fuerint, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis sue posse transferere.*

Can. Clerici quilibet, 16. q. 3. Desinente quinto, & decurrente sæculo sexto frequens percrebuerat precariarum usus. Hæc vero quædam erant sive prædiorum, sive mancipiorum, altiarumve rerum Ecclesie præstationes, quas Episcopi quibusdam Clericis vel laicis indulgebant sub onere obsequii, non quidem in perpetuum, sed ad longum tempus, donec revocarentur, vel ab Episcopo, qui concesserat, vel ab ejus successore: fiebantque hujusmodi præstationes præcarie; ut plurimum sub aliqua annua in Ecclesiam recognitione ac censu, reliquis vero usufructus receptorum præcarie affectus erat. Sæpenumero autem contingebat, res Ecclesie hæc ratione vel præscribi, vel ad hæredes & successores posterorum sensum transmitti, ac in perpetuum alienari, etiam si ab initio non nisi precario & ad aliquod tempus Ecclesie bona indulgerentur. Harum precariarum meminere præter Agathensem istum canonem, Epaonensis can. 18. & Aurelianensis Concilii primi can. 23. & in Bellovacensi can. 5. & in Meldensi can. 22. & in Rhemensis can. 36. & 37. & in Concilio Moguntino sub Arnulpho can. 20. hujusmodi precariarum passim mentio legitur. Concilium Meldense, Sergio II. Pontifice, tempore Caroli Calvi Francorum Regis celebratum can. 22. decernit, ut precariæ secundum antiquam consuetudinem de quinquennio in quinquennium renoventur. Et in Decretalibus attribuitur Concilio Delvacenti, c. 1. de precariis.

23. Can. LXIV. *Si quis in Clero constitutus ab Ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, id est Nativitate, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quam servitio Dei pareat, convenit ut triennio a communione suspendatur; similiter Diaconus, vel Presbyter, si tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerint, huic damnationi succumbant.*

Can. Si quis in Clero, 7. quæst. 1. Concilium generale Sardicense longe antea providerat: *Ne quis Episcopus ab Ecclesia sua tres absit continuas septimanas extra gravem & urgentem necessitatem, que longiorem absentiam exigat, can. 14.* Quinimmo ante Synodum Sardicensem laicis etiam prohibuerat sub excommunicationis pœna Concilium Illiberitanum can. 21. per tres septimanas citra necessitatem abesse a conventu Ecclesiæ, hoc est, tribus Dominicis.

Can. LXVI. *Quoniam non oportet in sacros ministros licentiam habere in Secretarium, quod Greci Διανομιον vocant, ingredi, & contingere vasa Dominica.*

Can. Quoniam non oportet in sacros, dist. 23. Eadem pridem statuta fuerant can. 21. Laodicæ Synodi.

Can. LXVII. *Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere convivia, & vel filios dare, vel filias dare, sed potius accipere; si tamen futuros se esse præsentur Christianos & Catholicos.*

Can. Non oportet, 28. q. 1. Idemque Laodicæ Synodi can. 31. statuitur.

Can. LXVIII. *Quoniam non oportet ministros altaris, aut clericos magos, & incantatores esse; aut facere que dicunt phylacteria, que sunt magna obligamenta animarum; hos autem, qui talibus utuntur, projici ab Ecclesia iussimus.*

Can. Non oportet ministros altaris, 26. quæst. 5. hoc idem plane constituit Laodicæ Synodi can. 36.

Can. LXIX. *Seditionarios nunquam ordinandos Clericos, sicut nec usurarios, vel injuriarum suarum ultores.*

Can. Seditionarios, dist. 46. Hoc ipsum iisdem verbis pridem sanciverat Concilium Carthag. IV. can. 67.

Can. LXX. *Clericum scurrilem, & verbis turpibus jaculatorum, ab officio retrahendum.*

Can. Clericum scurrilem, dist. 46. Hoc idem iisdem verbis sancitum fuerat Carthaginensis Synodi quartæ can. 60.

ECCLESIAE SEXTI SÆCULI HISTORICA SYNOPSIS.



Agno religionis damno pessimo Imperatori Zenoni successit Anastasius, fatigante Ariadna Zenonis vidua, quæ se illi cum dotali imperio nuptu tradidit. Fuerat Ariadna Leonis Thracis, qui post Marcianum imperaverat, filia, cujus Mater Verina, Leonis quondam Augusti vidua, ac Zenonis forcius, in fratrem Basiliscum, quam in generum propensior, cum fratre conspiravit adversus invisum sibi Zenonem, qui utriusque fugiens infidias in patriam suam Isauriam profugit, quem sequuta est uxor Ariadna, conjugalem fidem blanditiis matris aulaque commodis & deliciis præferens. Basiliscus postquam Imperium invasit, Eutythianæ hæresis addictus deterrimos hæreticos Timotheum Elurum in Alexandrinam sedem, & Petrum Fullonem in Antiochenam, unde dejecti erant, restituit; Imperioque male parto per tyrannidem abutitur; cumque omnia uxoris suæ Zenonis Eutythianæ ductu & consilio perageret, jamque invisus populis esset, ipseque Verina, quæ se ab æmula Zenonide rerum administratione excludi animo iniquo ferebat, revocatur ab Isauria Zeno, ipse vero Basiliscus cum uxore Zenonide ab Armato militum magistro Limnis Cappadocia castello includitur, ibique fame cum Zenonide conjuge mori compulsus est. Zeno restitutus Imperio nihilo melior effectus est, corpore animoque fetidus, a sacra Chalcedonensi Synodo alienus, crapula addictus, per quam epilepsiam contraxerat, qua sæpe in humum alidebatur, in crudelitatem quoque proclivis, occisioque interitimo & innocente vito Pelagio, qui virtutum meritis ad Patriatus dignitatem pervenerat, ideoque ob morum dissimilitudinem exosum habens, metuensque ne ille sibi in Imperium succederet, eo quod sibi ab hariolis prædictum fuerat successorem habiturum se unum, qui ex Silentiariorum ordine fuisset, e quorum numero fuerat aliquando Pelagius, ea de causa illum testem ac vindicem innocentia Deum appellentem morte affect; nec tamen, quod metuebat, evasit, successorem quippe ex eorum ordine habuit Anastasium. Par olim contigerat eventus impio Imperatori Valenti Ariano, qui cum liberis carens de successore sollicitus quæsisset, responsoque delusus Theodosium egregium Ducem interfici iussisset in Africa, nihil tamen oblitit, quominus alter sibi Theodosius succederet illius occisi filius, ut refertur ab Hieronymo in Chronico, & ab Orosio lib. 7. cap. 33. DEI providentia sic nonnunquam eos eludente, qui curiosis & nefariis artibus de futuris sciscitantur. Quædam etiam postmodum alteri Grecorum Imperatori Andronico Comneno contigit, qui quum de futuro sibi successore per hydromantiam inquisivisset, responsumque esset fore Isaacium, qui tamen de Imperio non moliebatur quidquam, sed ne cogitabat quidem, dum vult improvisum de medio tollere, illeque fuga evadens populi opem imploravit: plebs quotidiana Andronici tyrannide essetata in Andronicum manus iniecit, & in ipsum crudelissime sevens, Isaacium nihil tale sperantem ad solium Imperiale provexit. Ille porro Andronicus non legitima successione, neque electione, sed prædatoria invasione, legitimeque atque innocentis Imperatoris Alexii patricidii Imperium occuparat.

2. Ut vero ad præsens Sæculum nostræ regrediarur historia. Anno 491. quo ad Imperium accessit Anastasius, ejus promotionem Constantinopolitanæ Patriarchæ Euphemius distulit approbare, donec fidei professionem chirographo proprio testatam quod Synodi Chalcedonensis approbatione edidisset, eo quod Zenonis hereticum suscepisset, dogmaticque Eutythiani fautor haberetur, cui Patriarchæ postulationi Anastasius proprio scripto per dissimulationem illico satisfecit. Cujus scriptum in Archivis Ecclesiæ repositum Euphemius, ut foret deinceps illius fidei pignus & convictio. Alia quoque boni regiminis initio regni specimina exhibuit, ablato Chrysostomi immanissimo vestigali in capita singulorum hominum jumentorumque & canum imposito. Sed optati compos factus Imperii, obscurataque dominatione, se insensum avitæ religionis hostem & populorum oppressorem exhibuit.

3. Universæ Italiae Theodoricus Ostrogothus, trucidato Odoacro, assumpto Regis titulo dominabatur. Hic vicinorum Principum affinitates appetiit. Clodovæi enim Francorum Regis forem Audestem matri-

Cabassii, Notitia Ecclesiastica.

monio duxit, & filiarum, quas ex concubina susceperat, alteram Alarico Visigothorum Regi collocavit. Merovæi filius Chilpericus e Thuringia regressus, quo illum Francorum rebellio ipsius commota flagitii, stupris, & raptibus virginum, matronarumque, a quibus nulla se tueri poterat pudicitia, fugere compulerat: proptiis edoctus calamitatibus, & ad meliorem frugem redactus, fatigante fidissimo amico & consiliario Vinomanda, qui & Regem sapientissimis monitis ad officium, & populum meliori spe ad obedientiam & subjectionem reduxit, & quod de Themistocle Grecorum testantur historiæ, *adolescens libidinose vitia magnis virtutibus emendavit*; Saxones & Britannos variis conflictibus repressit, Aureliam, Andevagos, aliaque munitissima hostium loca & arces Francico regno adjecit. Patris Chilperici filius Clodovæus regnum exceperit, a quo regnum Francicum longe lateque auctum fuit, victo & occiso Syagrio Ægidii Comitis Romani filio, cujus regiam sedem Suestionas aliaque oppida sibi adjecti anno 486. Thuringos etiam perdomuit anno 491. eorumque sibi ditionem asseruit.

4. Alemanni (gens erat in superiore Germania Mœnum inter Rhenumque & Danubium habitans) Coloniam Agrippinam bello adoriuntur, in qua regnabat Sigebertus Francus: huic optulaturus Principi & affini, & vicino, quo semel deturbato, Alemanni victores impetum belli cis Rhenum adversus reliquam Franciæ partem, cui regnabat Clodovæus, essent illaturi, Clodovæus ingentem peditum & equitum vim adducit, sibi que reservans equitatum, peditibus Sigebertum præficit. Alemanni trajecto Rheno apud Tolbiaicum, qui vicus est inter Coloniam in Ubiis & Trevirum situs, castrametantur. Hic occurrentibus Francis atrox inter fortissimas gentes pugna confertur, denique anceps pendet victoria, donec Sigebertus crure faucis, quo & postea claudicavit, a proprio filio pugna ereptus esset, peditatus vero pedem retulit, & urgente Alemanorum vi, turbatis ordinibus in fugam est effusus. Tunc vero hostilis impetus in equitatum Francicum totus incubuit. Clodovæus interim Ducis ac militis obire munera, suos adhortari, premere voce, exemploque præire cepit, sed irrito conatu cunctis ad fugam vergentibus. Tum Rex, qui ante aciem vota Jovi nuncupaverat, nec tamen Statorem, ut olim Romulus, experiebatur, in extremas redactus angustias DEI opem reclamavit, quem uxor Clotildis colebat: *Christe, inquit, potentissime DEUS, polliceor me sacra tua cum populo meo suscipiarum, si tuo beneficio victoriam de hostibus reportavero.* His dictis novus pugnandi ardor Francorum animis incellit, tuncque in hostem novo impetu prorunt. Alemanni inexpectato mutatis vicibus animis concidunt, proprioque Rege in illo conflictu cum optimatibus interempto, pertumpentibus ordines Francis fugam capefunt, magna que strage funduntur. Clodovæus strenue victoriam prosequutus est, transmissoque Rheno, gentem Rege & fortissimis bellatoribus denudatam armis perdomuit, subjecitque tributum.

5. Clotildis interim ubi Parisiis optatissimum nuntium accepit victoriæ geminæ de gentibus victis, & de victore ipso reportata, triumphatori DEO publicis gratiis habitis, celeriter Rhemos Durocotorum advolat, sanctumque Antistitem Remigium orat, ut quamprimum ambo se ad Regem conferant. Maximi quippe momenti esse, si recentem a beneficio animum occupent, moramque omnem demoni abrumpant. Igitur gratulabundi obviam Regi accedunt, quem jam sanctus Abbas & Presbyter Vedastus primis Christianæ religionis rudimentis imbuerat, quemque Rex postmodum ad Infulas Ecclesiæ Atrebatensium evexit. Rex ipse a Præsule Remigio apud Rhemos sacro fonte ablutus est anno Christi 469. ipso die natali Christi, ut ex Aviti constat epistola, qua illi de suscepta fide gratulatur. Addunt ad hanc historiam Hincmarus, & eum sequuti Flodoardus Aimoinus, cum præ multitudine hominum infinita, omnes ad fontem sacrum intercluderent aditus: ideoque sacrum chrisma tardius & sacrario proferretur, ad beati Antistitis preces columbam calitus advolasse, quæ ampullam alteram rostro ad manus ejus attulerit, e qua Remigius Clodovæum inunxit, reliquique Franciæ Reges ad statem usque nostram consecrantur: cujus tamen rei nulla apud Gregorium Turonensem mentio. Singularem gratiam istam Clodovæo soli Christus indulsit.